

I. N. J. C. F. F. Q. S.

DISPUTATIO PHYSICA

De

AFFECTIBUS,

QUAM

DEO BENIGNE FAVENTE

*Cum consensu Amplissima Facultatis
Philosophicae in Regia Academia
Aboënsi*

P R Æ S I D E

V I R O *Praclarissimo*

DN. ERICO FALANDRO

Græc. & Ebr. ling: Prof. Ord.

Publico examini submittit

HENRICUS E. FALANDER

O-Bohm.

In Auditorio Maximo ad d. 20. Decemb.

Anni 1675.

A B O Æ

Excusa à PETRO HANSONIO, A. Typ.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO

DN. JOHANNI GE-
ZELIO, S. S. Theol. Doctori
& Episcopo Diœceseos Aboënsis lon-
gè gravissimo, Academiæ hujus Pro-Can-
cellario per-Magnifico, Mœcenati magno.

Admodum Reverendis DOMINIS

DN. ENEVALDO SVENO-
NIO S. S. Theol. Doctori excellen-
tissimo, & ejusdem Professore Primario,
Ecclesiarumq; Aboënsium Pastori dignissimo.

DN. NICOLAO TUNAN-
DRO S. S. Theol. Professore cele-
berrimo, Pastori in fundo attentissimo.

DN. M. MARTINO MIL-
TOPÆO Eloq. Professore percele-
bri & Pastori in Dicitis meritissimo.

Nec non Reverendis & Clarissimis VIRIS

DN. JOSEPHO MATHESIO
Præposito & Pastori in Calajosi optimè me-
rito, Parentis loco honorando.

M. ISAACO FALANDRO, Pastori in
Veteri Carleby bene merito, Fratri Charissimo.

M. HENRICO SACKLINIO Verbi
divini ministro in Vhlo/ Præceptori suo non ita
pridem fidelissimo.

Exercitationem hanc humiliter & rever-
enter offert ac inferibit.

HEN. FALANDER

PRÆFATIO.



Utemadmodum Dei O.
 M. laudanda bonitas in lar-
 giendis bonis nullis creatu-
 ris defuit, ita nec aliquem
 tantæ benignitatû defectum
 experta est anima sentiens, quam duplici be-
 neficio appetitu & sensu pulcherrimè ornare
 voluit: Quorum hunc dedit ne omni cog-
 nitione sublata caudici & lapidi simile esset a-
 nimal; istum v. tribuit ut ad unionem fructi-
 onemque boni sensibus cogniti ejus stimulis
 compelleretur; nisi enim bonum appetere
 posset, sterilis imò vana certè esset ista cog-
 nitionis gloria. Pulchrè itaq; hac in re Cre-
 atoris & sapientiam & bonitatem videre licet;
 Illa luculenter patet, dum se scire ostendit quo
 indigeret creatura; hanc eò manifestè decla-
 ravit, quod aliquid deesse voluit, quod ad in-
 tegram animalis naturam constituendam per-
 tinere scivit. Appetitum vero qui intentis
 oculis intueri voluerit diligentius, deprehen-
 det varios ibi motus diversosq; ejus impetus;
 diversimode enim objecto grato & ingrato af-
 ficitur animus, aliter atq; aliter pro objecti
 presentia vel absentia commovetur. Bonum

amamus, & si abest desideramus illud, tandem
in acquisito latentes acquiescimus. Malum
verò odio persequimur, imminenti exhor-
rescimus, presenti tristamur. His animi
motibus utcumq; naturaliter bonis per horribi-
lem primi parentis lapsum morale quoddam
vitium accessit, ut jam in homine mediocri-
tatem vix interdum servant. In letitia ani-
mum diffluentem non coercemus, dissolutos
mores honestatis vinculis non constringimus,
luxuriantem petulantiam non compescimus.
Tandem cum à viâ liberaliter nimis gau-
dentes abisse nos animadvertimus, commu-
tatâ vita ratione à recto rursus ad alterum
extremum usq; aberramus; adeo enim ve-
hementes sumus in utramq; partem ut qui se
gaudio peccare sentit, dolori sese tradat, vitamq;
corrigere cogitans satis pulchrè malum in pe-
jus corrigat. Sic nos stulti dum vitamus vitia
in contraria currimus, ac semper quocunq;
nos vertimus, delinquimus, nihilq; omnibus
numeris exactè & undiquaq; rectum censen-
dum est. Sed prolixior querela quantum-
vis necessaria & justa eo minus huic loco con-
venit, quo magis affectus naturaliter nunc con-
sideramus. Hoc autem exercitium desinien-
do & dividendo perficere decrevimus.

MT plenior hæc nostra affectuum tractatio sit, pauca prius de voce præmittenda sunt, quam ipsam rei considerationem aggredimur, ne nominis infeliciter neglecta inquisitio in rerum ipsarum cognitione magnas (uti non parva veritatis jacturâ sæpe fieri consuevit) turbas det, aut certè eandem non leviter reddat difficilior. Absolvitur vero illa triplici Onomatologia.

Etymologiam quod attinet, non est dubitandum quin vox hæc *Affectus* originem & genus deducat à verbo *afficere*; quod hisce passionibus & affectibus afficiatur animus. Et si accuratius in vocis originem inquirimus illam proximè debere videtur adjectivo participiali *affectus - a - um*, utpote quod *ὀνομαστικός* occasionem dedit; fuit enim adjectivum tanquam immediate ex ipso verbo fluens prius quam *ἁffectus* substantivum; itaq; cum diceretur; animus affectus est gaudio vel dolore &c. inde homines, qui de nomine solliciti erant, appellationem sumserunt,

ut certæ rei certum responderet nomen.
Est igitur affectus juxta notationem no-
minis & notionem communem nihil
aliud quam res ejusmodi, quâ animus af-
ficitur & permovetur.

Synonymiam quod spectat, dicitur
affectus in lingua latina *passio*, non pro-
pterea tantum, quod affectus ad tertiam
speciem qualitatis referantur; sed eti-
am, quod animus profectò patiatur ali-
quid, præsertim cum circa objectum tri-
ste occupatus est, & ipsa lætitia re etiam
verâ passio quædam est, quoniam in eâ
animus actionem objecti oblectantis re-
cipit. Stoici affectum appellant *pertur-
bationem*, quæ vox cum ipso nomine
involvat vitium morale, propterea hoc
loco, ubi affectus considerantur ut na-
turaliter boni, incommoda censetur,
quamvis in Ethicis suo loco satis idonea
esse possit. Præterea à Cicerone dicitur
affectio; verum quoniam hoc vocabu-
lum subsequenti tempore, magis usurpa-
ri cœpit de proprietatibus & attributis
objectorum disciplinarium, hoc ipsis
tanquam sibi proprium relinquimus, &
hinc

hinc tanquam aquivocum relegamus. In lingvis vero alijs & aliæ & variæ esse possunt appellationes affectus.

Homonymia in voce affectus, prout substantive usurpatur, non quidem multiplex occurrit; maximè tamen duplex vocis significatio attendi meretur. Una passionem animi denotat & hujus loci est, breviterq; quoad nomen nunc exposita, & jam mox secundum rem altius nonnihil expendenda. Altera passionem corporis designat & à Cicerone vocatur affectus corporis, unde fortè natum est, quod Medici aggritudines & morbos corporis affectus appellent. Satis hac vice dictum sit de nomine, jam ad ipsius rei considerationem deveniamus.

Definitio.

Affectus sunt motus appetitus sensitivi, ab objecto, quod sensibus bonum vel malum apparet, excitati, ut animal illud persequatur hoc vero fugiat.

Existentiam affectuum non videtur opus ut rationibus probem, plus satis n. eandem in cujushbet animo ipsi etiam

ratione invitâ probant, dum nos homi-
nes, præter passiones reliquas in appetitu
satis conspicuas, nunc lætitiâ extolli-
mur, nunc tristitiâ rursus affligimur, ut
is qui existentiam effectuum negare au-
deret, tantum non ab omni sensu abesse
videatur. Progredior itaq; ad ipsam de-
finitionem, in quâ conceptum generi-
cum & specificum notabimus. Con-
ceptum communem nobis præstat vox
illa *motus*; quam convenienter satis ge-
neris vicem obire arbitror; quoniam
communitate & amplitudine suâ latio-
rem ipso definito notionem menti no-
stræ sistit; deinde noticia & cognitio
hujus termini prior est hæc ipsâ voce
effectus: quæ duo inter requisita gene-
tis recenseri ac numerari solent. In-
telligitur autem hic motus non quidem
is qui secundum locum est & localis ap-
pellari consuevit; sed ejusmodi motus
qui juxta Aristotelicos secundum qualis-
ratem est, definiturq; hoc modo, quod
sit alteratio & mutatio talis, in quâ eo-
dem sensibili subjecto manente alia ac-
quiritur qualitas. Sic movetur animus
ad gau-

ad gaudium, è gaudio ad tristitiam &c.
Passionem si quis generis loco adhibeat,
neutiquam illi repugnarem, si modo vox
sumatur prout tertiae speciei qualitas est,
& sic genus proximum in eodem prædi-
camento constituit: verum si vox su-
matur ut actioni opponitur, & diversum
constituit prædicamentum à qualitate,
non videtur satis accurate rei naturam
exprimere, dum affectum absolvi dicit
nudâ receptione actionis istius, quam
objectum in appetitum exercet, cum ta-
men ejusmodi motus animi hac solâ
re non conficiatur, nisi accedat vis ani-
mæ sentientis, quæ ab objecto mota
hunc vel illum affectum producit, habet
enim affectus se ad appetitum tanquam
effectum ad causam, inter quæ necessa-
riò intercedit actio, quæ licet è nume-
ro actionum transeuntium non sit, im-
manens tamen revera est, quæ in eadem
facultate terminatur & recipitur ut in
subjecto à qua tanquam ex sua causa effi-
ciente manat & procedit. Sed dicis: quomodo
potest facultas appetens in una ea-
demq; re pati & agere? Hic attenden-

dum est appetitum agere & pati diverso respectu; quatenus objectum & patibilis illius qualitas per sensus actum movet appetitivam virtutem, & illa contra talem objecti actionem recipit, eatenus patitur: prout autem receptam jam actione actum suum rursus exerit circa idem objectum vel prosequendo vel fugiendo illud, eo respectu iterum agit. Exemplo res fiat clarior. Intellectus qui res cognoscere solet, prout species ab objecto oblatas recipit, ipsamque ad actualem intellecti- onem movetur, patitur, atque hinc dicitur intellectus patiens; idem ille intellectus dum species rerum disponit, & actu ipso cognoscit objecta, agit rursus, atque inde dicitur intellectus agens. Pari modo se res habet cum appetitu.

Determinatur hoc genus, quod in se ipso definito latius est, per conceptum differentialem seu specialem, qui objecto, subiecto & fine exhibetur. Affectus pro subiecto agnoscere animam sentientem in eaque tanquam in sede propria residere, vel hinc clarum & apertumque esse potest, quod illi nusquam inveniatur, nisi

nisi ubi anima sensitiva locum habet. Sed quoniam hæc est subiectum mediatum, queritur ulterius immediatum & proximum h. e. utrum animæ sentienti competant prout actus suos exerit circa objectum sensibus cognoscibile; vel utrum eidem conveniant, ut actus suos exercet circa objectum appetibile; seu ut brevius dicam, vel prout cognoscit vel prout appetit (nemo enim facile dixerit animæ competere illos prout facultate locomotiva est instructa, quippe quæ ordine posterior est ipso appetitu) Hic utiq; respondendum est, illos pertinere ad appetitum sensitivum, tanquam ad adequatum & proximum suum subiectum. Ratio autem addi potest ex definitione facultatis appetentis, est namq; illa quâ animal ad bonum persequendum & malum fugiendum fertur; id vero munus peragit illa ministerio affectuum, qui in persequutione boni & fugâ mali occupatissimi sunt, adeo ut præter illos nihil fingi possit, quo animal, prout quidem animal est, hoc munere fungatur.

Per hanc subiecti determinationem
illa

illa à participatione & possessione affectuum excluduntur, quæ anima sentiente adeoq; appetitu sensitivo carent, quibus frustra tribuerentur actus facultatis, cum ipsa facultas illis non compe-
tat: quod enim alicubi non est, id nec ibi operatur aliquid, uti per se clarum & manifestum est. Secundò rejicitur illa sententia, quæ affectus in anima rationali ponit, voluntatemq; subjectum talium motuum statuit: quia 1. Voluntas electione gaudet, affectus vero sunt impetus sine ratione. 2. Voluntas tanquam hominis propria, & ad differentiam ejus specificam pertinens, nihil commune habet cum brutis, aliàs enim non constitueret esse hominis specificum, at affectus nobis cum brutis communes sunt. 3. Nullus motus voluntatis fit cum mutatione corporis primò, affectus autem uno actu animum & corpus simul immutat, dicente D. Horn. l. 2. c. 6. Patet deniq; tertio ex hac subjecti determinatione affectus non esse meras opiniones ut Stoici voluisse dicuntur; non enim potest hoc subjectum
quod

Quod in appetendo solum occupatum est, admittere facultatis cognoscentis actionem ejusq; officium proprium, quod est rem cognoscere & aliquid de ea judicare sive opinari; sic namq; diversæ actiones confunderentur, facultas cognoscens fieret appetens & cognitio fieret appetitus, quæ tamen inter se differunt ut species à specie differt. Subiectum in ordine excipit *objectum*, quod in definitione statuitur esse bonum vel malum, id autem hisce rationibus probari potest. 1. Quia nihil monstrari potest aliud quod appetitum movere potest præter bonum, id enim solum per & propter bonitatem appetibile est; malum vero cum inimicâ vi pellat appetitum, non potest animal non fugere illud. 2. Quemadmodum verum est objectum omnis cognitionis, ita bonum est objectum omnis appetitus. 3. Ut voluntas in homine circa bonum occupata est, ita etiam appetitus in animali circa bonum versatur, licet illa libertate in actionibus suis utatur, hic verò electione careat, impetuq; irrationali

nali à sensibus determinatò in suum
objectum feratur. 4. Quia necessarium
fuit animali sui conservationem quære-
re, non potuit id fieri, nisi bonum per-
sequeretur, malum vero fugeret. Sed
indigitandum est quodnam bonum vel
malum hoc loco intelligatur. Intelligi-
tur hic id omne quod appetitui jucun-
dum & animali utile esse possit. Est i-
taq; bonum hoc loco quicquid anima-
li ad finem suum (conservationem sc.
suae naturæ) promovendum inservire
putatur. Ex opposito id censetur hoc
loco malum quod animali ingratum
& noxium est, adeoq; ad conservatio-
nem, & ut bene sit animali, non modo
non conducit, sed quantum potest sa-
lutem ejus destruit, ut propterea neces-
sariò hoc tanquam hostem suum odio
persequi cogatur.

Monendum etiam hoc videtur, con-
siderari hic bonum quatenus bonum
est, & malum quatenus malum est, &
non quoad extrinsecam aliquam ratio-
nem, prout bonum aut magnum aut par-
vum est, sublime vel humile, facile vel
diffi-

difficile: hæc enim non pertinent ad in-
trinsecam & constitutivam objecti ratio-
nem, nam bonum quia bonum appetis-
bile est; non vero secundum extrinse-
cum aliquod, cujusmodi sunt supra no-
minata, quæ meræ quædam circumstã-
tiæ esse videntur non facientes ut sint af-
fectus, sed quanti & quales existant. Nos
autem hic quærimus objectum, quod
per propriam & intrinsecam rationem
sufficiens sit ad affectus progeneran-
dos, nihil solliciti quam vel magnos
vel parvos, per accidentalem quandam
sui rationem eosdem concitet. Est
spes etiam in minimis æquè ac in ma-
gnis, licet ibi minor hic major sit. Ti-
memus mala exigua, quemadmodum
ingentia exhorrescimus; Una tamen
spes est, unus timor, cum qualitatatum sit
intendi & remitti secundum gradus,
specie nihilominus non variata.

Adduntur in Definitione hæc ver-
ba, *prout sensibus apparet*, quibus duo
indigitantur. 1. Prærequiri facultatis
cognoscentis actionem priusquam ap-
petitus commoveri potest, nam ut
vulgo

vulgo dicitur, *Ignoti nulla Cupido*. 2. Indigitatur effectus produci ab objecto bono vel malo, non prout revera tale est, sed prout sensibus apparet; nam quemadmodum appetitus præsupponit in facultate cognoscente objecti notitiam secundum quam movetur, ita etiam hic ejus judicium sequens sæpe decipitur; contingit enim non rarò ut à sensibus malum pro bono & bonum pro malo judicantibus magni erroris culpa aut é negligentia aut judicij infirmitate committatur, quod etiam nobis hominibus, quos oculatiores esse in pernoscentis rebus meritò oporteret, quam sæpissime accidit. Movetur ergo animal bono vel malo, non prout revera tale est sed ut ei apparet.

Clauditur Definitio adjectione *finis*, qui pro duplici objecto duplex statuitur, alium enim finem intendit animal circa objectum bonum, nempe ut illud prosequatur, alium circa malum ut scilicet id fugiat: Nam quemadmodum animal ultimò quærat conservationem sui, ita hoc fieri non potest nisi diversimode circa

diver-

diversa occupetur. Notandum verò est non intelligi hic fugam, prout est specialis affectus circa malum futurum; sed sumi in ea latitudine, ut quamlibet aversionem mali in affectibus occurrentem complectatur, aliàs est finis inadæquatus nec singulis respondet.

DIVISIO.

Affectus alij circa bonum, alij circa malum versantur.

Divisio hæc uti patet ab objecto desumpta est, quam propterea sequutus sum, quod videbam nullum in his manifestius discrimen aliundè haberi posse quam ab Objecto, in quo sensibilis horum occurrit differentia: nam si secundum aliud dividerentur, non æquè perspicua esset res; vix enim aut difficile intelligeretur quid & quotuplex facultas aliqua ejusq; actus sit, nisi attendatur Objectum. Præterea usu satis à Philosophis receptum est, pro duplici objecto duplices statuere affectus, ut vel propterea divisionem retinere possim⁹. Cum itaq; proluxa divisionis expositio hic non requiratur, melius operam col-

locari putamus, si affectuum inter se or-
do paucis monstretur, idq; primum in
affectibus circa bonum occupatis cona-
dimur.

Quam primum Facultas cognoscens
cognoverit Objectum idq; *bonum* pro-
nunciaverit, continuo absq; dilatione
appetitus in *amorem* illius fertur, non
enim potest non amare bonum. Quas
propter notandum sufficere ad consti-
tuendum objectum amoris adaequatum
& proprium bonum prout bonum est,
absq; respectu ad ejus praesentiam vel ab-
sentiam, quo ipso hic affectus distingui-
tur a reliquis omnibus, qui circa deter-
minatam Objecti partem occupantur.
Quoniam igitur amor circa bonum in
genere, respectu aliorum affectuum ver-
satur, satis liquet ipsum tanquam affe-
ctum generalem principalemq; subster-
ni reliquis ut fundamentum. Postquam
jam bonum & a sensibus cognitum &
ab appetitu amatum fuerit, inquit pos-
tea animal utrum illud objectum, quod
propter bonitatem suam prodesse puta-
tur sit *praesens* an *absens*; novit enim ani-
mal

mal instinctu naturali bonum aliter atq;
aliter pro præsentia vel absentia sua ad
naturæ suæ conservationem conducere:
itaq; si *bonum præsens* esse sentit, ob bo-
ni illius iucunditatem, quam appetitus
jam præsentem experitur, *letitiâ* afficitur,
& cum gaudio in objecto grato quiescit:
si vero bonum *absens* fuerit, cupidine il-
licò agitur animus ut illud bonum uni-
atur ac præsens fiat, quo melius bonitatis
suae particeps faciat animal; unde na-
scitur *desiderii* affectus. Deinde inquirit
Phantasia num animal ad actualem deside-
ratae bonitatis perfruitionem perve-
nire possit i. e. num objectum deside-
ratum *paratu sit possibile* nec ne? si intel-
ligit fore aliquando ut Objecto isto frui
possit, *Spem* & fiduciam concipit: Si au-
tem bonum, nullâ extante ad ejus pos-
sessionem viâ, obtineri non potest, o-
ratur *Desperatio* gravissimum animi ma-
lum, quod eo plus mortales cruciat, quo
major boni opinio, cogniti amor & a-
mati desiderium fuerat, adeo ut ad ne-
cem usq; desperatis rebus sæpe affligat
& torqueat.

Nunc ad alteram affectuum speciem,
eam sc. quæ circa malum occupata est,
transeamus. Quando objectum aliquod
obvenit quod *malum* judicatur, statim illud
aversatur appetitus, provenitq; rei
malæ *odium*. Malum iterum vel *præsens* est
vel *absens*; si illud, adest *tristitia* quæ ob ma-
li præsentiam dolet; si hoc iam *fuga* præ-
stò est, quâ animal unionem cum malo
declinat & ab eo disjungi cupit. Ulte-
rius si malum adveniens *insuperabile* sit,
timor appetitum invadit, qui adeo cæcum
interdum facit animal ut id tantum ti-
meat, quod primum formidare cæperit;
licet alterum in quod præcepta se conji-
cit, longè gravius sit: si vero ut *superabile*
concepitur jam appetitus impavidus ma-
lum contemnit, idq; vi propellere au-
det, & sic *audacia* nascitur. Tandem si
malum propter pertinacem malitiam
ultionem promeruisse putatur, prorumpit
illicò infestus *ira* furor, qui irato suo
impetu ut plurimum præter æquum bo-
numq; crudeliter nimis sævit.

Hoc ordine sese invicem excipere *Affectus*
Illus non obscurè ostendere videtur res
ipsa

ipsa: nam quemadmodum generalia natura prius ipsis specialibus innotescunt, sic appetitus primò etiam exercit actum circa Objectum generale tanquam prius cognitum, prodeuntq; primū affectus generaliores: deinde accuratiori examine instituto oriuntur affectus specialiores, qui objectum illud generale inter se dividunt. Quod vero in homine præsertim dum validè commovetur, hi gradus non ita ritè semper observentur, non turbabit id nos; nam cum objectum distinctè & ordine cognoscitur; distincte etiam proveniunt affectus; si autem repentinum aliquod obveniat, potius affectuum perturbatio est quàm certus affectus.

Quo affectuum indoles melius oculis subjiciatur, singulorum breves descriptiones adjungendæ sunt.

Amor est Affectus quo appetitus ad bonum inclinatur, idq; tanquam gratum amplectitur.

Laetitia est Affectus quo appetitus propter præsens bonum gaudio afficitur.

Desiderium est Affectus quo appetitus cum bono absente uniri cupit.

Spes est Affectus quo appetitus bonum absens paratu possibile obtineri posse confidit.

Desperatio est affectus quo appetitus bonum absens paratu impossibile obtineri posse diffidit.

Odiū est affectus quo appetitus à malo declinat, idq; tanquam ingratum averlatur.

Tristitia est affectus quo appetitus ob malum praesens dolore afficitur.

Fuga est affectus quo appetitus unionem cum malo imminente devitat.

Timor est affectus quo appetitus ob malum imminens insuperabile pavet.

Audacia est affectus quo appetitus malum imminens superabile non timet.

Ira est affectus quo appetitus ob maleficiū ad ultionem commovetur.

Ad calcem disputationis hoc monendum est. 1. Affectus gigni juxta opinionem quam Phantasia habet de Objecto. 2. Considerari debere affectus prout animali insunt non homini tantum. 3. Objectum verum cujuslibet affectus diligenter inquirendum esse. Hæc si observentur non parum solidam veritatis cognitionem juvabunt, si minus facilis in errorem erit lapsus,

FINIS.

Ad Eximium DN. HENRICUM E. FA-
LANDRUM, Dissertationis hujus Physicæ
de Affectibus, Authorem & Respon-
dentem :


Sunt anima Affect⁹, animal queis noxia que-
Judicio sensus vitat amatq; bonum. (vix
Sapius hinc prostant lætantis signa, furentis
Aut animi in crebras ira vocata minas,
Hinc audax instat turbatis sensibus, unde
In vitæ tam toties mens agitata ruit.
Hinc dolet hincq; timet hinc vel desiderat,
Sperat, desperat, deteriora fugit. (odit,
Hæc Tibi materies doctæ est Henrico Falan-
Gloria Musarum Scirelidumq; decus. (det
Gratior hæc visus vigilata est ex die noctis
Affidua, ut mentis pondera tanta ferant.
Sic decet Anny temet pallescere chartis,
Hoc uno exultat Pallas amica bono.
Vix est cæca oculos vel surdis auribus, ipsa
Rite recognoscit totum Heliconis opus.
Hisce tuis curis si quos meditetur honores
In medium dandos doctus Apollo brevi,
Doctarum esse puta curarum premia, vel quod
Corrigere Affectus promptior ipse xyla.
Macte tuis studijs, cali clementia præsit
Hoc vobis, votis annuat ipse Deus!
occupatis. scripsit

JOH. FLACHSENIUS.

Alkuperäinen Upsalan yliopiston
kirjastossa.

E. Falander - H. Falander,
De affectibus. 1696 (no. 3).





In te viva viget defuncti Patris imago,
Patris, qui patriæ lux speciosa fuit.
Mors licet atra tuis subduxerit usibus
illum;

Ejus adhuc Virtus te tamen alma fovet,

*Hac sincero animo amico
vereri scribebat*

OLAVS LAURÆUS O. Both.

Omnia quæ magno degunt animalis mundo
Ingenii variis sunt decorata bonis.
Rastra trabenda dedit validis Natura juvenis,
Iussit equos celeres Martis ire vias:
Hanc tamen æqualem cunctis sancire volebat
Legem, quæ singulos dissimilæq; tenet.
Nempe suam cupiunt naturam cuncta tueri
Ingeniumq; volunt cuncta manere suum.
Hæc illis variis nascuntur origine motus
Quos mala devitant, quos cupiuntq; bona.
Omne quod ostendat sese sub imagine grati
Appetit, quoniam sic jubet almæ amor.
Sole sub æstivo pecudes lætantur in arvis
Ac bilares badi grata vireta secant.
At l. sus gemitu clamat præsepis tauri,
Milis & pectus pungit amico quies.
Cultores terra, messis spes lætæ opima
Tutibatq; tepor solis & aura levis

Ad desperabit jactatus naufragus alto

Et jam submerso cura salutis abit.

Sic nos cuncta juvāt qua sunt conformia nobis:

Quæ non conveniūt mens animusq; pavet.

Sape canēs fugiens sese lepus abdidit antrū,

Sape puer casus lumina fixit humi,

Et rigidos vehebentis audacia strinxerat enses

Atq; malum diris depulit ira minis.

Hæc tibi discursus dederant exordia docti

Discursum laudo materiamq; bonam.

Affectus etenim compescere frustra laboras,

Naturam illorum ni prius ipse scias.

Tu Deus Henrici laudatis æquæ cæptis

Tristia pelle procul fata benigna dato!

Amico suo lubens meritoq; gratulabatur

JOHANNES SALONIUS.

Affectuum in mutandis animis multa
vis est & efficacia; in adversis enim dolor
ingentes parit gemitus; In secundis vero ani-
mum extollit lætum gaudium. Si spes acce-
dat multa nobis promittimus, imo ea sæpe
quæ nunquam aut vix attingere possumus.
Adveniente desperatione diffidens animus om-
ni fiducia exiit. Timor attonit in men-
tem cum invadit, trepidantes noxium malum
meruimus. Ira affectuum omnium turbulen-
tissima cum animum hominis occupaverit,
C **morta-**

mortales ulciscendi cupiditate incendit. His qui cum ratione utitur, boni sunt, qui verò abutitur, mali; itaq; ut recte regantur non parum prodest plenior cognitio eorum naturalis. Gratulor ergo tibi frater amande, quod jucundissimam hanc Affectuum doctrinam non neglexeris, & in reliquum tempus felices studiorum progressus fraterno animo apprecor.

JACOBUS E. FALANDER.

Ad Henricum Falandrum Fratrem Charissimum.

Admiranda equidem est perpetua erga res omnes Dei bonitas, quæ maxime in homine conspicitur, quem tot & tantis donis exornare non est dedignatus. Animum hominis affectibus pulcherrime politum dedit, non ut per eosdem reliquis animalibus nos faceret similes; sed ut illi à recta ratione directi, stimuli essent ad honestam vitam. Quid homo sine affectibus? Stipiti hercle, qui nullis movetur motibus, non esset ab similibus, cum nec bonum desiderare vel appetere, nec malum evitare & fugere posset. Tibi igitur Frater Charissime de Affectibus hisce Disputanti, affectu & amore ductus non possum non gratulari, propitiumq; studiis tuis precari Deum, & rogare divinam clementiam ut posthac nostri paternam curam gerat, & quàmvis iam per quadragennium Patre & Matre orbati duriori adolescentiæ studio uli sumus, necessaria subministrare non desistat, quod cœlestis ille & benignus Pater cotidie se faciurum promiserat, ac re ipsa ostendit dum nihil habentibus nihil unquam defuit.

Hæc pauca subjunxit

ABRAHAMUS E. FALANDER.